

solitus: „Hic ergo crudelissimus leo totus est sine deo. Quia si fuisset deus cum eo, quæ illius sunt, amaret pro illo“. Affirmabat autem post mortem eius ⁱ⁾ eternaliter illum ^{k)} esse damnatum. Manifestissime siquidem in multis claruit, quoniam quisquis illum ^{l)} odio habuit, exinde poenas luit, sicuti ^{m)} versa vice ⁿ⁾, si quis illum dilexit, vere ^{o)} mercedem a Christo percepit illius auctore sanctitatis.

XII (*cap. 24*). Fertilem igitur gratiam ac dona uberrima a bonorum omnium largitore pater iste promeruisse evidentissime passim ^{p)} claruit. Sed nos lectoris tedium caventes plurima silentio tegimus. Erant nanque tam monasteria, quam coenobia atque cellulæ monachorum circiter quadraginta, quæ illius patrocínio tutæ ^{q)} cunctorum bonorum affluebant copiis. Fratres vero in ipsis degentes procul dubio (*fol. 228^r*) plus mille ducenti. Quibus inerat fides integerrima, ut quandiu id devote exercerent, quod ab eodem patre didicerant, nil ^{r)} mundi huius formidare debere ^{s)} aut cuiuspiam suæ ^{t)} utilitatis rei indigentiam pati. Id ipsum enim suis sepiissime inculcabat a deo ^{u)} sperare et credere. Quod etiam plurimis probavere experimentis. Nam aliquando per diversa terrarum euntes itinera, dum ex eventus facie perturbari potuissent, dicere erant soliti: „Domine, in fide patris Willelmi fac nobis, sicut scis ^{v)}“. Nec ullus unquam illorum ^{w)} hoc dicens ope caruit. Instituit quoque simplicioribus vel idiotis e seculo ad se confugientibus fratribus orandi formam, quinque modulis mystice constantem, ut videlicet, quot sensibus humani corporis deus offenditur, totidem vocum clausulis ad misericordiam rogaretur. Erat autem huiusmodi: „Domine, Iesu, rex pie, rex clemens, pie deus“. Subiungebatur vero singulis: „Miserere“. Supputabatur nanque taliter, ut, si verbi gratia in decem novenalibus articulorum iuncturis ^{x)} quinquies identidem revolvendo devote diceretur, psalterii tota series mutuata persolveretur. Unde etiam pro psalterio apud illos habebatur, ut pater docuit, et cognominabatur, Mortificatio ^{y)} nempe carnis et abiectio corporis ac vilitas vestium ciborumque extremitas vel parsimonia in suorum universis acsi naturaliter vigit ^{z)}. Ipsius etenim ser-

i) et *statt* eius *RBM*

k) eum *R*

l) *ü. d. Z. in F*

m) sicut *B*

n) vice versa *B*, vice versa *M*

o) vere dilexit *R*, vere *fehlt BM*

p) *RBM*, *fehlt F*

q) tuta *R*

r) nihil *R*

s) deberent *R*

t) sibi *R*

u) In Deo *R*

v) vis *MeRBM*

w) illorum umquam *RBM*

x) ter et *BM*

y) *danach Rasur von 2—3 Buchstaben F*

z) vixit *R*